

sterii S^{mae} Dei-Genitricis Virginis Mariae in Thopolszka usuales & consuetas, tempore suo solvere et administrare teneantur. Judicia quoque et universas causas eorum justitiarum in sede Comitatus Zagrabiensis, ad instar aliorum Nobilium ejusdem sedis prosequi, actitare, et actitatas observare teneantur. Alias enim universas & quaslibet causas justitiarum Jobagyonum ipsorum, quae in eorum Territoriis, et inter eosdem Jobagyones ipsorum quomodocunque contingunt, homicidia, violentiae, furticia, & alia quaevis secularia vitia, omnes Nobiles annotati Kres, Kupissa, & Rak, ac eorum posteritates, in eorum sede, quacunque feria hebdomadali, per eosdem legitime praefixa, judicare, et universos maleficos, rusticos, juxta eorum excessus punire, & quaecunque birsagia, ad maius tres marcas, & poenam pacis, centum denarios usuales, medietatem praefati Nobiles, aliam medietatem iudices ipsorum, per eosdem legitime pro tempore constituti, tollere, et prosequi, recipereque valeant, atque possint. In cujus donationis & perennalis confirmationis memoriam firmitatemque perpetuam, concessimus has litteras nostras privilegiales, dupplicis sigilli nostri in appensione munimine roboratas. Datum per manus Venerabilis viri Magistri Farkasii, Albensis Ecclesiae Praepositi, Cancellarii nostrae Majestatis, dilecti fidelis nostri. Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Ducentesimo sexagesimo quarto. Nonas Octobris, Regni autem nostri vigesimo sexto.

Ex transumptis, in comunitatibus Nobilium Krešić seu Krašić et Kupšina seu Kupčina, descendantium a supranominatis Kres et Kupisa, asservatis. Habet quoque Kerčelić Hist. Eccl. Zag. p. 329.

(Easdem donationales et privilegiales litteras confirmarunt: Ludovicus I. Rex a. 1364, Vladislaus IV. a. 1499, Ludovicus II. a. 1519, Ferdinandus I. a. 1548, Maximilianus II. a. 1571 et Rudolfus II. a. 1583.)

LXI.

Anno 1264. Idus Martii.

Abbati Toplicensi media pars terrae, quae Kralla vocatur, a Michaelae Comite de Sana, quod in hodierna Croatia turcica erat, possidenda traditur.

Tenor Privilegij super Crala. Universis has Litteras inspecturis. Michael Comes de Sana, subscriptas veritati fidem adhibere. Noverint Universi, quod Nos de mandato et praecepto Excellentissimi Domini Nostri Regis Hungariae, medietatem Terrae Kralla, cum suis pertinentijs omnibus, sicut eam Pribislaus Comes tenuit in vita sua et possedit, Domino Abbati de Toplica, per Fratrem Desiderium Monachum suum, qui cum Litteris et praecepto venit ad Nos ex